



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

L
642



8642



Harvard College Library

FROM THE BEQUEST OF


JAMES WALKER, D.D., LL.D.


(Class of 1814)

FORMER PRESIDENT OF HARVARD COLLEGE

“Preference being given to works in the
Intellectual and Moral Sciences.”

18 Oct., 1911.





DE
EPISTVLARVM ACTORVMQVE

QVAE A SCRIPTORIBVS HISTORIAE
AVGVSTAE PROFERVNTUR,
FIDE ATQVE AVCTORITATE.

PARTICVLA PRIMA.

DISSERTATIO HISTORICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINE
IN ACADEMIA
FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE IV. MENSIS AVGVSTI A. MDCCCLXX
PVBLICE DEFENDET

CAROLVS CZWALINA

GEDANENSIS.


ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

IVLIVS CZWALINA, DR. PHIL.
GVILELMVS SOLTAV, DR. PHIL.
RICHARDVS KRVEGER, DR. MED.

BONNAE
FORMIS CAROLI GEORGI.

1870

L 642



Walker fund

THEODORO HIRSCH
ARNOLDO SCHAEFER

PIETATIS ERGO.

Scriptores historiae Augustae qui vocantur, quamquam omnium, qui ad nostram memoriam manserunt, veterum historicorum infimos atque miserrimos esse satis constat, tamen ad historiam illorum temporum — secundi et tertii p. Ch. n. seculi-cognoscendam maximi nobis esse momenti quivis concedat. Qui quam leves atque ineptos in imperatorum Romanorum vitis consarcinandis se praebuerint, viri docti iam saepenumero demonstraverunt. neque omnino quisquam qui accuratius in eorum auctoritatem inquisiverit, intelligere non potest, ea, quae ipsi ab aliis recepta nimis confidenter referant, magna ex parte vehementer a fide abhorreere. Sed non adeo illi de plebe opifices et artis rudes et consilii expertes meras ubique egerunt nugas, ut omnia quaecunque literis mandaverunt pro falsis ac perversis habere ideoque repudiare liceat. Immo potius non modo permulta de imperatorum rebus gestis imperiique statu ac condicione gravissima et dignissima memoratu tradiderunt, verum etiam inter ineptiarum quisquiliarumque farraginem haud exiguum epistularum actorumque publicorum numerum protulerunt, quae si procul dubio vera et genuina monumenta existimanda sunt, sicuti lapides et nummos certissima rerum testimonia nobis afferre patet. At quo maiorem auctoritatem veris imperatorum vel aliorum illustrium virorum epistulis tribuere debemus, eo magis cavendum necesse est, ne quaecunque veri speciem prae se ferant nullo discrimine avide arripiamus neve scriptorum quorundam commentis atque praestigiis temere quasi historicis monumentis fidem habeamus.

Quare me operae pretium esse facturum arbitror, si de fide atque auctoritate epistularum actorumque, quae a scriptoribus historiae Augustae proferuntur, quaestionem instituerim; quae quam sit ambigua et impedita non nescius quamvis eam prorsus ad liquidum perducere omnesque quibus obstrusa sit difficultates hac dissertatione, cuius particulam offero, tolli non posse libere confitear, non omnino tamen oleum et operam me perdidisse spero atque confido. Neque vereor, ne quis me sine causa atque ex vano acta illa imperatorum vitis indita in suspicionem vocare totamque quaestionem quasi fundamento carere, obiciat. Nam cum iam liberae reipublicae temporibus historicos fuisse qui talia fingerent falsamque suam de rebus gestis opinionem falsis testimoniis probare et confirmare studerent, notum et apud omnes pervulgatum sit¹⁾ quis est qui neget, veri esse simillimum etiam Caesarum aetate scriptores, ut miris portentosisque quas ederent fabellis apud vulgum fidem augerent, ad eandem rationem confugisse? id quod tantum abest ut mirum et incredibile esse videatur ut illi ipsi aetati optime conveniat. Quo enim magis illis temporibus literarum doctrinaeque studium evanescebat quoque magis rhetorum disciplinae tribuebatur, qua instructi atque instituti cum alii scriptores tum historici nimis ad oratoria dicendi ornamenta inclinare studiosiusque dicendi artificium consecrari coeperunt, eo magis veritas delectationis illecebris cedere coepit atque abhorreere a corrupto hominum iudicio et approbatione. Iam putidum et molestum esse videbatur, simpliciter ac nude referre quae gesta erant; et cum id potissimum scriptores agerent ut vulgi assensionem clamoresque captarent, non tam verum quam argutum sectabantur nec tam ad historiae fidem quam ad hominum voluntatem atque oblectationem

1) Praeter ceteros nominare iuvat C. Licinium Macrum, de quo confer quae notavit Th. Mommsenus: »Römische Chronologie« p. 94 seqq. (a. 1859).

narrabant. quare cum vulgum maxime delectari mirificis fabulis monstrosisque narratiunculis intelligerent et optime se commendari rerum quas proderent novitate atque insolentia, nihil est, quod mireris, omnes fere illorum temporum libros historicos, haud ita multis veluti Cassii Dionis vel Herodiani exceptis, eiusmodi commentis ac fabellis referatos esse et quasi scatere, ita ut id quod iam superiore tempore rhetoribus quasi concedendum esse videbatur¹⁾, ut in historiis ementirentur, tunc multo etiam licentius usurpatum ac factitatum esse collegeris. — Sed hoc universe tantum significasse vix sufficiat; magis ad istam historias scribendi rationem illustrandam expedit, certa testimoniorum fide niti et testem ipsum gravissimum producere, Lucianum dico. Is in libro, qui inscribitur »quomodo historia conscribenda sit« cum de aequalibus historicis qui de bello Parthico scripserant, acerrimum iudicium faceret²⁾, ex eorum diffusis voluminibus exempli gratia satis magnum capitum et locorum numerum attulit, quibus quam illi essent miselli et nepti scriptores, comprobaret. Taedet me illorum putidas ineptias atque stultitias recoquere, quas ipse legat qui velit; sed hoc mirum sane et incredibile esse videtur, neque illos dubitasse de iis quoque rebus, quae ipsorum aetate gestae erant, tam ridiculas atque aniles fabulas comminisci et pro vere certeque factis praedicare, neque aequales, quos fictas et ementitas eas esse fugere non posset, talibus mendaciis esse offensos.

Quare cum omnino nullus illis esset mentiendi modus, ne hoc quidam ab eorum impudentia alienum fuisse docet

1) cf. in Cicer. Brut. c. 11 Attici verba: ... quoniam quidem concessum est rhetoribus ementiri in historiis, ut aliquid dicere possint argutius.

2) cf. Lucian. 'πῶς δεῖ ιστορίαν συγγράφειν'. c. 13 sqq. Similiter iudicat de sui temporis scriptoribus Herodianus l. I. c. 1.

Lucianus, ut quisque audacissime et insolentissime mentiretur, ita eum firmissime asseverare consuevisse, se omnia vere referre, atque sanctissime iurare, se non ab aliis audisse, quae narraret sed ipsum oculis vidisse¹⁾. Quae cum ita sint, maxime cavendum esse apparet, ne talibus asseverationibus leviter credamus, neve illis freti si quae mira et suspecta esse videntur vel nihil curemus vel nimis argute defendere et explicare studeamus. Nam neque omnia exempla, quibus suae aetatis rationem historiae conscribendae ostendere posset, Lucianum loco laudato comprehendisse neque insequenti aetate similia defuisse et per se veri est simillimum et ex multis scriptorum historiae Augustae locis intelligitur; quod enim Heliogabalum imperatorem coegisse nonnullos scriptores ut »nefanda immo potius impia« de Diadumeniani Caesaris luxuria disputarent, Lampridius narrat (Lampr. v. Heliog. c. 8, 5 ed. Peter.), ea non vere eos dixisse, sed cogitate ac consulto ementitos esse manifestum est. Neque igitur dubitari potest, quin scriptores quoque historiae Augustae, quippe qui, quamvis ipsi sua sponte finxisse atque scientes fefellisse non putandi sint, priorum historicorum diffusa opera in summariorum angustias compellere eorumque vestigiis nullo suo iudicio insistere contenti fuerint, eiusmodi mendaciis ac fabulis quasi redundent. Et profecto, si in Maximini imperatoris vitam a Capitolino scriptam accuratius inquisiveris, e meris fere mendaciis, quae illis belli Parthici scriptorum omnino nihil cedant, eam constare invenies.

Recte quidem dixerit quispiam, quia Lucianus l. l. istos historicos obiurgaverit, quod fabulas et alia mendacia composuissent, non obiurgaverit quod literas vel acta finxissent, inde colligi posse, has quoque imperatorum vitas,

1) Ita impudentissime affirmavit quidam ex illis mendacibus, quos notat Lucianus l. l.: ὅσα ὀφθαλμῶν ἀπιστότερα· ἢ γὰρ ὡς τοῖς νῦν ἂ ἐίδον, οὐχ ἂ ἤκουσα.ε

de quibus agitur, multis ineptiis ac narratiunculis fabulosis esse contaminatas, non inde colligendum esse, etiam epistulas et acta, quae vera ac genuina esse scriptores nostri contenderent suspecta esse aut falsa. At quoniam id efficere volui et effecisse mihi videor, ut hac Caesarum aetate scriptores non modo non ad integram orationis sanitatem simplicemque candorem rediisse, sed magis magisque nulla veritatis habita ratione ad delectationis vehementiorisque ornatus studium et foeda laudationum lenocinia ductos vel potius raptos esse omnibus appareat, hoc quod supra monui, tenendum esse quivis mihi concedat, ut multo etiam magis quam antiqui scriptores huius aetatis historici falsarii ac mendaces existimandi sint. Quare quod iam illi sua commenta suppositiciis testimoniis probare ac confirmare non verebantur, hos iisdem fraudibus ac fallaciis non abstinuisse pro certo affirmare licet.

Neque tamen id solum fuit, quo scriptores ad literas aliaque monumenta ¹⁾ supponenda et fingenda moti esse videntur. Quod enim usu receptum erat apud veteres historicos, ut commentariis orationes contionesque intexerent quibus homines ipsos agentes et loquentes repraesentare eorumque habitum ac naturam quam maxime expresse legentium oculis subicere vellent, id eo studiosius scriptores amplexos esse ac coluisse videmus, quo magis quodvis oratorii or-

·1) Non modo epistulas vel acta publica tunc conficta esse, verum etiam alia monumenta, veluti titulos, e scriptorum historiae Augustae locis nonnullis intelligimus. Nam falsum est ut unum afferam, quod Trebellius Pollio (vit. Gallien c. 19, 4, ed. Pet.) narrat statuam quandam habuisse ›inscriptum Gallieno iuniori Solonino additum‹, quoniam Gallieni Augusti filio, de quo sermo est, Gallieni nomen non fuisse constat. — De aliis iam rectissime iudicavit Henricus Cannegieter in commentatione de ›Trebellii Pollionis negligentia castigata‹ (p. 191 sq.), quam una cum libro singulari ›de mutata Romanorum nominum sub principibus ratione‹ a. 1774 publici iuris fecit.

namenti genus sectabantur et universae Romanorum literae ad istam dicendi rationem inclinabant. Sed quoniam semper omnibusque locis, quibus scriptores personas ipsas inducendo optime animos allici ac moveri posse existimabant, illam rationem inire iis nequaquam licuit, — neque enim homines longo vallo distantes inter se colloquentes facere potuit, nisi qui impudentissime mentiri auderet¹⁾, — ad id paulatim confugerunt, ut inter eos literarum commercium fingerent literisque suppositiciis, quae illi vellent ac sentirent, exprimere et illustrare studerent. Quae cum ita essent illas quoque epistulas vel orationes quas scriptores historiae Angustae protulerunt nobis suspectas esse habendas nemo negaverit. Neque enim fieri potuit quin cum omnes fere historicos, e quibus nostri penderent, eiusmodi commentis libros implevisent, horum quoque vitae talibus inficerentur. Et quamvis nullus fere unquam vir doctus de singularum literarum fide se dubitare profiteretur, quin ab aliis repudiaretur vel refutaretur, plerosque tamen iam dudum intellexisse arbitror²⁾, non prorsus omnia illa acta esse genuina; quod quam recte iudicaverint manifesto evincitur, ut hoc unum afferam, epi-

1) Sed ne hac quidem in re nonnulli scriptores prorsus inepti fidem servarunt, in quorum numero anonymus qui vocatur Cassii Dionis continuator referendus est. Cuius narratiunculas longe a fide abhorrere ac plane fabulosas esse ita in promptu manifestumque est, ut recte mireris, e coniectura tollere conatos esse viros doctos, quae nimis contra veritatem repugnare putarent. Et tamen vel eo, quod in excerptis Constantinianis temporum ordinem servatum esse constat, Waddingtonium et Oberdickium prohiberi oportuit, ne nomen Gallieni, quem cum Odenato collocatum esse scriptor inepte refert (Frg. ed. Ddf. p. 239), in »Γάλλος« (Waddington ad Lebas 'inscriptions' 2600) aut »Ὀυαλεμανός« (Oberdick in libro »Die römischerfeindlichen Bewegungen im Orient« p. 138 sq.) mutarent.

2) cf. quae notaverunt Casaubonus, Tillemontius, Canegieterus, alii.

stulis illis, quas a principibus nonnullis ad Persarum regem missas refert Trebellius Pollio (v. Valerian. c. 1 sqq.) quasque ab uno et eodem scriptore confictas esse nemo harum rerum peritus non intelligit. Atqui si unam epistulam vel duas a scriptoribus historiae Augustae prolatas commenticias esse inter omnes constat, etiam aliarum, quae eidem vitae insertae sunt fidem auctoritatemque labefactari atque everti sequitur; neque enim eum, qui re vera senatus vel alia acta recondita et abstrusa indagavit, indagatisque usus est, alias talia commentum esse veri simile est, neque, qui semel finxisse ac falsa dixisse convictus est, ei aliis in locis confidenter credi oportet. Ergo parvi referre nec satis esse patet, e tanta actorum copia unum vel alterum literarum monumentum deligere et examinare, reliquorum vero, quasi non ab eodem scriptore prodita essent, nullam habere rationem. Id quod cum ii, qui antea hac de re quaesiverunt peccarent, de vi et ratione horum actorum nec recte sentire nec vere iudicare potuerunt, et quia universa, quae illius aetatis esset, dicendi ratione talia commenta quasi excitata esse ignorarunt, aut in uno quoque monumento certam ac conspicuam fingendi causam requirebant aut fictum illud habendum esse negabant. Qua ex re satis apparet, hanc quaestionem nisi de cunctis literis actisque pariter institueris, ut alia aliis illustrentur, enodari ac persolvi non posse.

Sed priusquam de singulis literis argumentis disputare instituo, viam ac rationem quam ingressurus sim, breviter indicabo. Ac primum quidem quoniam de historici auctoritate ac fide certum et rectum iudicium fieri omnino non potest, nisi eius naturae ingenique imaginem quandam animo informaveris quaeque ille in historiis scribendis spectaverit ac voluerit cognoveris, hoc quoque loco nihil antiquius habeamus necesse est, quam ut in scriptorum historiae Augustae naturam voluntatemque inquiramus et quasi fontem aperiamus, ex quo singula quaeque deriventur. Sed

vide ne hac in re frustra laboremus. Nam illi tantum abest ut vere historicorum nomino ornandi sint ut eos scribis vel librariis, qui probe officiis suis fungantur multo inferiores existimari oporteat. Nemo ignorat nec longius exponere opus est, tanta socordia ac negligentia illos ex diversis priorum scriptorum libris imperatorum vitas composuisse¹⁾, ut ne ipsi quidem quae sibi vellent intellexisse videantur, nedum accuratius hominum consilia atque eventuum causas exponere conarentur; quare si tamen rationem quandam atque consilium in eorum vitis interdum observaveris, hoc non tam ipsorum quam illorum esse patet, quos duces sequebantur, neque ipsos, quippe qui sui iuris non sint, sed illos, in quorum potestate eos esse constat, in ius vocari ac quaeri oportet, quae libris efficere intenderint quaeque valuerint. Sed ne id quidem plane expediri ac perfici potest: Nam in nonnullis vitis, velut iis quas Pollio et Vopiscus scripserunt, adeo diversorum auctorum narrationes contaminatae ac confusae sunt ut neque manifesto discernere possis, quae unicuique tribuenda sint neque ex frustulis fragmentisque ab eodem auctore petitis colligere, quae eius fuerit ratio ac voluntas. Quae si ita sunt nihil aliud restat nisi ut e singulis verbis sententiisque epistularum actorumque fidem examinemus, id quod propterea difficillimum et maxime ambiguum esse apparet, quod aliorum monumentorum testimoniis destituti saepius certo iudicare non possumus utrum apte et vere illa dicta sint necne. — Dixerit quidem haud inepte quispiam, veri esse simillimum, scriptores nostros, quos Diocletiani et Constantini aetate fuisse constat, non prorsus evitasse ne, ut in ipsa rerum narratione, sic in literis si quas finxissent, sive ignorantia sive negligentia sui temporis mores et instituta, nova tunc et ab antiquis longe abhorrentia, memorarent vel significarent, quibus vestigiis commune

1) cf. Dirksen »Die scriptores historiae Augustae« (Lipsiae 1842) et Richter in Museo Rhenano VII p. 16 sqq.

omnium falsorum insigne atque indicium posse deprehendi. At quoniam scriptores historiae Augustae ipsi talia non finxerunt, sed bona fide a prioribus historicis depromserunt, in literis ab his fictis omnium earum rerum publicarum, quas Diocletianum vel Constantinum instituisse scimus neque significatio neque mentio fieri potuit; quae vero quoque tempore ante hos imperatores in republica mutata aut instituta sint, id ipsum adeo crassis tenebris offusum est, ut vix divinare liceat. — Relinquitur, ut de ratione, qua epistolae actaque a scriptoribus historiae Augustae prolata ad nos pervenerint, breviter disseramus, id quod quamvis haud ita magnum afferat momentum, tamen ad rem facere apparet. Nam si recte statuisset Bernhardyus¹⁾ Heynium²⁾ secutus, imperatorum vitas non modo non integras mansisse sed diversis temporibus a diversis hominibus, qui in verbis addendis vel omittendis suis ingeniis nimis indulgerent, retractatas vel potius interpolatas esse, totius nostrae quaestionis quasi fundamento subruto non iam e singulis verbis sententiisque de epistularum fide coniecturam facere liceret. nam valde dubium atque incertum fieret utrum, si quae falsa vel a vera temporis ratione abhorrentia in literis actisque invenisses, ea tantum veris ac genuinis monumentis a posterioribus historicis inculcata essent an acta ipsa pro falsis et commenticiis essent habenda. Sed neque pro-

1) cf. Bernhardyi 'prooemium I. de scriptoribus historiae Augustae (Halaë 1845) p. III.' Eiusdem 'Römische Literaturgeschichte' ed. IV. p. 713 sq. cf. H. Peteri 'historia critica scriptorum historiae Augustae' (Lipsiae 1860) p. 17. Is mea quidem sententia recte duas tantum aetates, quibus ortum esset corpus nostrum, distinxit quarum priore VI scriptores libros suos composuissent, altera homo aliquis eas vitas quae sibi maxime placerent eligens uno volumine complexus esset.

2) Heynii 'Censura VI. scriptt. hist. Aug.' in Opuscul. VI. p. 71.

bavit Bernhardyus illam opinionem neque potuit probare¹⁾. Neque enim scriptores historiae Augustae non vere historicos, sed epitomatores vel compilatores fuisse meminit, et quamquam in unius imperatoris vita saepe inepte inter se pugnancia referri vel eadem odiose iterari recte notavit, id tamen ex eo ducendum esse rectissime perspexit Dirksen us (l. l. p. 3), quod scriptores nostri diversos auctores excerpssissent, excerpta sine ullo ordine et ratione conguessissent. Neque igitur est, cur in epistulis actisque genuina verba vel sententiae mutata aliisque expulsa esse existimes. Nam etsi libros manuscriptos corruptissimos esse ac mendis scatere non ignoro, tamen rerum {vel verborum rationem ita turbatam et corruptam esse, ut nostrae quaestioni esset impedimento, ne uno quidem exemplo confirmari potest neque ipsi scriptores, quippe qui literarum exempla ad verbum se reddere affirmant, ex libidine eas interpolasse et vitiasse putandi sunt. Quae cum ita sint hac dissertatione id potissimum nos agere oportet, ut primo de unius cuiusque auctoris, quem nostros quasi ducem secutos esse constat, natura et habitu quantum fieri potest disseramus, deinde singula literarum verba sententiasque quam maxime accurate examinemus, utrum iis, quae certissimis vel nummorum ac lapidum testimoniis haud dubie explorata sunt, consentiant et confirmentur an discrepent et refutantur, denique ut si quid certius effecerimus, eo innisi alia illustremus et universe fingendi rationem exponamus.

Ac primum quidem imperatorum vitas inde ab Hadriano usque ad Macrinum attente perlegentes nos fugere non potest, quin eae fere omnes sive a Capitolino sive a Spartiano sive

1) Quare Bernhardyus (R. L. G. p. 714) ex c. 81 vitae XXX tyrannorum colligendum esse contendat hanc vitam a Pollione scriptam postea ab alio scriptore, vel a Capitolino, retractatam esse, equidem non intelligo. Immo ipso illo loco evidenter sequitur, ut idem qui vitam XXX tyrannorum scripsit illum epilogum adiunxerit.

a Lampridio scriptae¹⁾ maxima ex parte ex uno quasi fonte haustae sint, ex **Marii Maximi** historiis²⁾. Qui quo tempore fuerit quemque honorum cursum percurrerit satis constat³⁾. Natus circiter a. p. Ch. n. 160, in Thracia legioni I. Italicae praefuit, cum Septimius Severus ab exercitu imperator crearetur (a. 193), deinde eius partes secutus cum in bello contra Pescennium Nigrum gesto apud Byzantium tum in bello contra Albinum apud Lugdunum dux »exercitus Mysiaci« sive legionum Moesiacarum prae ceteris excelluisse videtur. Paulo post consulatu functus primo Germaniam inferiorem, deinde Syriam Coelen provincias administravit, tertio, postquam a. 217 ab imperatore Macrino praefectus urbi factus est, pro consule Asiam gubernavit. Unde Romam reversus cum a. 223 iterum consul processisset, iterum, id quod paucis evenire solebat, provinciam proconsularem Africam obtinuit. Qualem exitum vitae habuerit nescimus nec satis liquet utrum Alexandro Severo imperatori superstes fuerit, necne.

Erat igitur **Marius Maximus** vir summae auctoritatis

1) Ad quemnam auctorem vita quaeque referenda sit quoniam adhuc dubium controversumque est, retinui fere ubique nomina quae libri manuscripti exhibent. Neque enim qui nuper diligentissime hanc quaestionem tractaverunt, Johannes Plew (diss. inaug. Regim. 1869) et Aemilius Brocks (diss. inaug. Reg. 1869) eam persolvise mihi videntur. An vero quispiam ut hoc unum afferam concesserit, Brocksium recte mutasse (p. 45) in vita Macrini (c. 15), maximi momenti loco, Diocletiani nomen in Constantini?

2) cf. Dirksen. p. 25. Richter. p. 45. Alii auctores praecipue excerpti sunt in vitis Avidii Cassii, Nigri, et Albinii; nam quod Richter l. l. dicit in Cassii atque Albinii vitis Maximum tanquam fontem praecipuum nominatum esse, falsum est.

3) De Mario Maximo egregie disseruit Borghesius (Oeuvres V, 455 sqq.) neque enim est, cur dubitemus quin ille L. Marius Maximus Perpetuus Aurelianus multis titulis honoratus idem fuerit, atque historicus. cf. Orelli-Henzen. Inscriptt. n. 5502.

et amplitudinis, prae ceteris diversorum principum gratia insignis. Quare si eum ipsum sui temporis historiam scribere aggressum esse comperimus, maximam spem et expectationem in eius opere nos ponere par est. Nam cum ipse senator senatus consiliis interesset et in gravissimis negotiis gerendis versaretur, optima ei fuit facultas non solum res gestas omnibus notas et conspicuas simpliciter referendi, verum etiam quo quidque modo actum esset declarandi et causas rerum atque imperatorum voluntatem consiliaque explicandi, quae alii infimi loci scriptores perspicere non possent. Sed multum abfuit, ut vere historici nomen promereret, quod et ipse nimis studiose oratorium artificium consecratus non tamen veritati quam aurium voluptati serviit neque magis res magnas memoriaque dignas descripsit quam ridiculas easque obscoenas¹⁾. Quare et verbosissimum eum fuisse et ineptis fabellis ac narratiunculis libros suos implevisse, sunt qui exprobrent²⁾, neque alia ex causa, quam quod vulgi potissimum assentionem captaverat, explicandum esse arbitror, historias eius etiam amplius centum annis post ab imperitis summo studio esse lectitatas³⁾.

Sed quamquam optimum eum historicum non fuisse constat, ceteros tamen sui temporis scriptores rhetorum tantum disciplina instructos eo longe superavit quod per totam vitam in rerum publicarum varietate versatus summisque honoribus functus omnium, quae ad ius publicum vel ius civile pertinebant rerum peritissimus fuit. Neque enim fortuito accidit, ut in iis potissimum imperatorum vitis quae ex

1) cf. Lampridii v. Heliogab. c. 11.

2) cf. quae iudicavit Vopiscus v. Firmi c. 1, 2: Marius Maximus, homo omnium verbosissimus, qui et mythistoricis se voluminibus implicavit.

3) cf. Ammian. Marcellin. XXVIII, 4, 14: »Quidam, detestantes ut venena doctrinas, Iuvenalem et Marium Maximum curatiore studio legunt, nulla volumina praeter haec in profundo otio contrectantes.«

illius opere pendent, de statu rerum civilium et negotiorum publicorum, de Caesarum constitutionibus, de mutationibus in administrandis muneribus officiisque factis copiosius referatur¹⁾, in ceteris vero hae maximi momenti res vix in transitu leviter attingantur. ac si quae nimis obscure vel minus recte in illis vitis de his quoque rebus relata esse observaveris²⁾, id non tam ipsi Maximo, quam misellis epitomatibus tribuendum esse patet.

Quae cum ita sint, maxime nobis dolendum est, historias eius, quibus imperatorum vitas inde a Nerva usque ad Heliogabalum complexus³⁾ ad Suetonii exemplum⁴⁾ non tam populi Romani quam singulorum Caesarum res gestas perscripserit, temporum iniquitate interiisse, praesertim cum iis non modo orationes sed etiam literas et acta publica intexta esse scriptores historiae Augustae diserte testentur⁵⁾. Nam quoniam Maximo, qui esset senator et praefectus urbi, omnia tabularia haud dubie patebant et cum alia

1) cf. Dirksen. l. l. p. 77 sqq.

2) Falsa sunt, ut haec afferam, quae de cursu honorum Hadriani (cf. Henzen, annali 1863) et Septimi Severi (cf. L. Renier, *Mélanges d'épigraphie* p. 155 sqq.) et Aeli Veri Caesaris (vit. c. 13 init.) narrantur. Alia notat Dirksen. l. l.

3) A principatu Nervae Maximum historiarum initium fecisse, ideo verisimillimum est, quod Suetonii opus quodammodo excepit et continuavit. Heliogabali vitam quasi agmen clausisse e ratione, qua Maximus in Alexandri Severi vita a Lampridio scripta laudatur, colligendum est. Quamvis enim eo saepe Lampridius teste utatur, tamen eius auctoritate nunquam nititur ad res ipso Alexandro imperante gestas comprobandas, sed in priorum tantum imperatorum veluti Traiani rebus gestis obiter perstringendis eum laudat.

4) cf. Vopisc. v. Prob. c. 2, 7.

5) cf. v. M. Anton. c. 25, 10 oratio Marci, indita Mario Maximo. — v. Commodi. c. 19 acclamationes de M. M. indidi. — v. Pertin. c. 2: exstat oratio apud M. M. ibd. c. 15 extr. epistula eius . . . quae vitae illius a M. M. apposita est.

tum senatus acta, quae ignobilis loci hominibus adire non licuit, in suam rem convertendi potestas erat, paene incredibile esse arbitror, eum omnia illa monumenta, quae quanti essent aestimanda vir in republica versatus ignorare non potuit, aspernatum ex sua libidine tabulas literasque commentum esse ac supposuisse. Immo, re vera eum genuinas principum orationes constitutionesque in historias suas transtulisse, intelligitur cum ex eo, quod, quae scriptores historiae Augustae quamvis depravata et mutilata ex illis afferunt, universe iurisconsultorum libris confirmantur (cf. Dirksen. p. 194) tum ex eo, quod quae in vita Pertinacis de imperatoris lege accuratius referuntur ad verbum fere conspirant cum quodam institutionum Iustinianearum loco¹⁾. Quare mihi quidem persuasum est, unum illud monumenti fragmentum, quod a scriptoribus nostris de Maximi opere depromptum est, acclamationes senatus Commodi vitae insertas, quibus ille in interfecti imperatoris memoriam invehebat (cf. v. Commodi c. 18) ex ipsis senatus actis excerptum esse et verum genuinumque habendum. Nam quamvis nobis mirum atque ineptum id acclamandi genus esse videatur, hanc ipsam sententiarum proprietatem non a scriptore fictam et excogitatam esse sed usitatam atque solemnem fuisse luce clarius est et aliis indubitatae fidei acclamationum exemplis, — veluti fratrum Arvalium²⁾ — certo confirmatur; quare cum Cassius Dio

1) cf. v. Pertinacis (ed. Peter) c. 7, 2: »legem sane tulit, ut testamenta priora non prius essent inrita, quam alia perfecta essent . . . ipseque professus est, nullius se aditurum hereditatem quae aut adulatione delata esset aut lite perplexa« . . . cum Institution. Iustinian. lib. II. 17, 7: »divi Pertinacis oratione cautum sit, ne alias tabulae priores iure factae irritae fiant, nisi sequentes iure ordinatae et perfectae fuerint . . . Eodem oratione expressit, non admissurum se hereditatem eius, qui litis causa principem reliquerit heredem.«

2) cf. Henzen: »Scavi nel bosco sacro dei fratelli« Roma

quoque narret (l. 73, c. 2), senatores in mortuum principem tunc omnia maledica contulisse, omnino nihil est, cur de fide et auctoritate illarum acclamationum dubitemus.

Sed quoniam hoc unum fuisse literarum monumentum, quod scriptores historiae Augustae a Mario Maximo mutuati essent, iam supra dixi, ad alias literas transeamus necesse est, quanti aestimandae sunt examinaturi. Ac primo quidem de vita Avidii Cassii a Vulcacio Gallicano v. c. scripta disseramus, qua magna diversarum epistularum copia continetur. Quemnam potissimum auctorem huius vitae scriptor secutus sit, non satis evidenter liquet; nam quamquam dubitari non potest, quin et ipse Marii Maximi, quem laudat, historias magna ex parte excerpterit, tamen ne epistulas quoque de iis depromptas esse existimemus vel eo impedimur, quod illis ipsis refutari Gallicanus contendit, quae Maximus de Faustina Cassianae coniurationis conscia prodiderit. Rectius eas deberi opinemur Aemilio Partheniano. Qui cum singulari libro »adfectatores tyrannidis iam inde a veteribus« historiae tradidisset (v. Av. C. c. 5) non modo multo accuratius et verbosius quam Maximus quaecumque ad Cassii vitam privatam pertinerent enarrasse putandus est, sed etiam eum revera epistulas protulisse haud temere inde colligi potest, quod Gallicanus ubi Parthenianum secutus de severitate Cassii disseruit de hoc ipso epistulam divi Marci Cassii severitatem ac disciplinam praedicantis affert. — Sed utcunque haec res se habet, quoniam de Partheniano ceteroquin nihil constat, ipsas literas quam diligentissime examinari oportet, ut diiudicare possimus, utrum genuinae sint an fictae.

Atque statim primo quasi obtutu in prima L. Veri imperatoris epistula vehementer offendimur. Nam cum Verus

1868 p. 77 sq. — Aliud exemplum exhibent acclamationes, quibus senatores in publicando codice Theodosiano usi sunt. cf. Cod. Theod. (ed. Haenel) I. p. 82.

ad M. Antoninum scribit: »Avidius Cassius... sub a vo meo, patre tuo innotuit« ..., plane ineptire vel insanire videtur. Quid enim? nonne si Marci patrem suum avum fuisse dicit se ipsum Marci filium fuisse necesse est? Atqui certissimis testimoniis constat et omnibus exploratum est, non filium eum fuisse Marci sed fratrem, non nepotem Antonini Pii, sed filium, id quod non solum historici veluti Cassius Dio¹⁾ et alii eorum aequales scriptores, velut Galenus²⁾ et iurisconsulti, qui leges ac constitutiones »divorum fratrum« sexcenties commemorant³⁾, testantur, verum etiam lapidum inscriptiones⁴⁾ et ipsorum imperatorum epistolae ad Frontonem missae⁵⁾ confirmant. Ergo, quia quod Cavedonio⁶⁾ in mentem venit imperatores publice se nominasse fratres, privatim patrem ac filium, plane ineptum est, aut illa epistula ficta ac commenticia est aut omnia alia testimonia fide dignissima mentiuntur. Utrum nos probemus necesse sit, dubium esse non potest, neque quisquam, opinor, negaverit Veri epistolam esse suppositiciam et ab imperito quodam scriptore confictam qui cum ipse, quo propinquitatis gradu imperatores essent coniuncti, ignoraret falsam suam de hoc opinionem in literis quoque illis protulit⁷⁾. Et ne

1) cf. Dio. 69, 21.

2) cf. Galen.: »περὶ τοῦ προγινώσκειν πρὸς Ἐπιγένην«. c. 9 (ed. Kühn).

3) cf. Corpus legum ab imperatoribus Romanis ante Iustinianum latarum ed. Haenel. 1857 t. I. p. 114 sqq. t. II. p. 3.

4) cf. Orelli-Henzen inscriptt. in indice t. III. p. 68 sqq.

5) cf. Frontonis epist. ad M. Antoninum imp. I. 1.—4. II. 1.—7. ad Verum imp. I. 3. (4.) ed. Naber.

6) Cavedoni »Osservazioni sopra alcune monete di Romani imperatori« in 'bulletino arch. Napolitano.' N. S. 1857 p. 25.

7) Hoc errore evidentissime comprobatur, Marius Maximus harum epistularum non auctorem fuisse, quia omnibus in locis, qui re vera ad eum referendi sunt (e. g. v. Hadrian. c. 24) recte L. Verus frater M. Antonini dicitur.

quis tantam imperitiam incredibilem esse arbitretur, alia exstare indicia moneo, quibus re vera scriptores nonnullos perperam enarrasse apparet, L. Verum a M. Antonino filium adoptatum esse; neque enim alio modo explicari posse mihi videtur, quod Spartianus refert in v. Helii Caesaris (c. 5, 12), 'Verum adoptatum esse a Marco' vel certe cum Marco¹⁾ aut Capitolinus in v. M. Antonini (c. 5) Hadrianum ea lege in adoptionem elegisse Antoninum Pium »ut Pius sibi adoptaret Marcum ita tamen ut et Marcus sibi Lucium Commodum adoptaret«! Eandem igitur opinionem quam Spartianus vel Capitolinus Gallicani auctorem secutum esse collegeris. Sed hoc obstare videtur, quod, cum Capitolinus l. l. Verum filium Marci, nepotem Pii, pronepotem Hadriani fuisse narret, in aliis literis, quibus M. Antoninus L. Vero respondisse fertur (v. Av. Cass. c. 2, 5) quaeque cum Veri epistula tam arcte cohaerent atque connexae sunt, ut de eodem auctore dubitari non possit, Hadrianus non proavus sed recte avus L. Veri dicitur, Pius ergo a scriptore plane praetermittitur. At vide, ne alius forte error subsit. Nam primum in nullo unquam imperatorum stemmate, quod scriptores protulerint, Antonini Pii nomen omissum est, deinde si auctor in Veri quoque epistula verbis »sub avo meo« Hadrianum significare vellet, ipse secum pugnaret, quia non Hadriano, sed Pio imperante Avidium Cassium imperium affectasse paulo ante diserte narraverat, denique ipsa orationis aequalitate flagitari videtur, ut, sicuti ad verba illa Veri »sub avo meo, patre tuo« et Marci »scis enim proavi tui dictum« nomen imperatoris non additum est, ita in his quoque verbis »scis enim ipse quid avus tuus dixerit«, imperatoris nomen omittatur. Quibus de causis mihi quidem persuasum est, in M. Antonini epistula Hadriani nomen e

1) Verba »a Marco vel certe« temere insiticia habent Iordanus et Peterus.

marginē in textum inrepsisse atque delendum esse; quod si mihi concesseris, pro certo affirmare ausim eum qui Veri epistolam finxit in eodem errore versatum esse atque illum, quem Spartianus vel Capitolinus l. l. sequebatur, neque unum solum fuisse, qui tam inepte peccaret ¹⁾).

Epistolam illam igitur falsam esse cum iam satis constet, operae pretium erit, accuratius exquirere, quid scriptor in illa fingenda spectaverit ac sibi voluerit.

Ac primum quidem id permirum esse apparet, quod iam Pio imperante Avidius Cassius dominandi cupiditate flagrasse atque imperium appetivisse dicitur; nam si Marium Maximum (cf. v. M. Anton. c. 24, 6. v. Av. Cass. c. 9 sq.) et Cassium Dionem, summae auctoritatis historicum, (l. 71 c. 22) audimus, contra successorem Pii demum seditionem movit, ultimis illius principatus annis, et ne tunc quidem sua sponte ac voluntate, sed Faustinae, imperatoris coniugis illecebris et adhortationibus impulsus animum induxit, fidem frangere. Num vero recte narraverint Faustinae et mariti et filii oblitam peregrino illi imperium obtulisse, equidem nolim diiudicare, sed quod qui nuper exstitit imperatricis defensor, Ernestus Renan haec quasi crimina odio ac simultate conficta illis L. Veri verbis refelli atque redargui contendit, egregie errat et nimis tribuit literis suppositiciis²⁾. Quibus cum prorsus nihil probari possit, ego non dubito, ea quae scriptor cum in ipsa rerum narratione tum in Veri epistula inserta de Cassii seditione sub Pio mota diserte exponit, pro falsis habere ac repudiare, non

1) Similiter erravit, qui Commodi imperatoris epistolam (v. Clod. Ael. c. 2) commentus est. Ipsum enim Commodum Aelium Verum Caesarem »proavum suum« nominasse plane incredibile est, quia Aelium Verum Hadriani filium et Pii fratrem, Commodum vero Hadriani nepotem et Pii nepotem fuisse constat.

2) Renan »Académie des inscr. et b. l. Comptes rendus. 1867 p. 203 sqq.«

solum quia Dionis et Maximi testimoniis refragantur, et universe Avidii moribus ingenioque discrepare videntur¹⁾ vel quia imperatorem viro adeo suspecto tantam potestatem detulisse non verisimile est, sed propter ea potissimum, quae auctorem ipsum illis ꝑefficere sibi proposuisse arbitror.

Ac primum quae de familia Cassii refert in medio relinquamus, quoniam ex aliis testimoniis de genere eius fere nihil constat nisi filium fuisse C. Avidii Heliodori, qui cum Hadriano ab epistulis fuisset postea sub Antonino Pio praefectus Aegypti erat²⁾. Quodsi Gallicanus Avidium 'per matrem e Cassiorum familia' fuisse atque gloriatum esse narrat, se ab illo Cassio, qui Caesarem occidisset, originem ducere, non est, cur huius narrationis fidem in dubium vocemus. At plane a fide abhorrent ac fabulosa sunt quaecunque addit, Avidium ob id ipsum, quod ab illa tyrannicida ortus esset dominationis ac principatus odium paene cum matris nutricis lacte suxisse atque a puero prae se tulisse; iam »in pueritia« eum tentasse, Antonino Pio principatum extorquere et tunc iam poenas meritas daturum fuisse, nisi pater insidiarum illarum infamiam oppressisset; sed tantum abfuisse ut ipse impefii cupiditate flagraret, ut nihil ardentius cuperet, quam abavi exemplo liberam rem publicam restituere. Quin etiam ipsius verbis demonstrari posse, eo maiore imperii odio eum accensum esse, quod in illo rerum statu ac conditione se imperatorem principatu deicere non posse intelligeret, nisi et ipse quamvis invitus pateretur se imperatorem appellari³⁾.

1) cf. Dio l. 1. Fronto ad amicos I. 6. Naber.

2) cf. Dio. l. 69. c. 3, 5: τὸν Ἀουλιδιὸν (sic emend. O. Hirschfeld) Ἡλιόδωρον, τὸν τὰς ἐπιστολάς αὐτοῦ διαγαγόντα. — id. l. 71, c. 22. Praefectus Aegypti erat a. 140. cf. C. I. G. n. 4955. Praenomen Gaii titulus exhibet in Aegypto nuper repertus, quem edidit et illustravit Mommsenus: 'Archäolog. Ztg.' 1870 II. p. 123.

3) cf. v. Ac. C. 1, 4: . . . dicebatque esse eo gravius nomen imperii quod non posset e republica tolli, nisi per alterum imperatorem.

Hoc fere modo scriptorem, quem Gallicanus secutus est, Avidii naturam moresque descripsisse eiusque defectio- nem excusasse e prava quoque illius epitome satis intelli- gitur. Nec tamen dubitari potest, quin quae apud Gallicanum breviter tantum strictimque et nimis obscure significantur ita ut verum consilium rationemque vix cognoscere possis, ea apud auctorem eius multo verbosius copiosiusque expo- sita atque exornata sint. Num omnia ad veritatem referret, ille fere nihil curavisse videtur; id egit, ut magnanimitatem viri, de quo narravit, quam maxime illustrando et extol- lendo legentium animos alliceret atque moveret; quare ut ille neque vili ambitione incitatus neque a Faustina adductus, sed quasi insito atque innato libertatis desiderio inflammatus seditionem movisse videretur, etiam illa, de qua disserui, epi- stula ipsum imperatorem monentem fecit, Avidium iam Pio imperante omnibus imperii cupiditatis suspectum fuisse.

M. Antonini rescriptum, quod sequitur, quam- quam cum L. Veri epistula tam arcte cohaerere, ut si hanc fictam esse constat, ipsum quoque commenticium habeamus nèesse sit, iam supra dixi, tamen singula persequi nequa- quam supervacaneum esse arbitror. — Repudiavit igitur M. Antoninus summa qua erat animi tranquillitate monentis verba atque consilia, quibus morem gerere nec posset nec vellet; et quod ille ne liberis suis male consuleret, admo- nuerat, hic, ut scriptor ponit verba, addidit: 'plane liberi mei pereant, si magis amari merebitur Avidius quam illi' e. q. s. Mira fortasse haec alicui videantur et rhetoris magis, qui aequum M. Antonini animum nimis augeat et exornet, quam ipsius imperatoris qui liberorum suorum salutem respiciat; sed tamen quia similia eum ad exercitum locutum esse Dio quoque testatur¹⁾ non est cur in illis offendas. Rectius

1) Dio 71, 24, 4: *ἠδέως ἂν ἀμαχὶ παρεχώρησα αὐτῷ* (scil. Cas- sio) *τῆς ἡγεμονίας, εἰ τοῦτο τῷ κοινῷ συμφέρον ἐδόκει*, e. q. s. Utrum re vera haec imperator dixerit an Dio contionem finxerit, non satis

offendas quod imperator non modo, quid ipse de Avidii consiliis haudquaquam spernendis sentiat ac iudicet hac epistula non profitetur, sed de priorum imperatorum dictis sententiisque, quibus fratrem refutare conatur, verbose et docte disserit, et a quo primo illa usurpata sint, exponit; nam id inepte et incommode hoc loco longius disputari et vehementer rhetorum officinam redolere quivis mihi concedat.

Sed multo gravius est, quod imperator verbo cuidam vim et sententiam subiecisse dicitur, quae illo tempore, ni fallor, ei nequaquam inerat. Nam cum Domitiani verba a Suetonio tradita (v. Dom. c. 21) »condicionem principum miserimam, quibus de *coniuratione* comperta non crederetur nisi occisis«, hac epistula ita reddantur: »misera condicio imperatorem, quibus de adfecta *tyrannide* nisi occisis non potest credi«, tyrannidis vocem idem valere necesse est ac coniurationis. Atqui inde a III p. Ch. n. seculo exeunte tyrannorum verbo quamquam significari solebant, quicumque imperium adfectabant ac contra imperatorem seditionem movebant¹⁾, sive bene sive male res iis successit, veluti Pollio scripsit de XXX tyrannis, id est de ducibus, qui a Gallieno defecerant²⁾, aut Parthenianus de adfectatoribus tyrannidis aut velut ipse imperator Con-

liquet; quamquam verbo, quo utitur Dio »ἀνέγνω τοιάδε« (imperator) haud scio an illud significetur. Nam contiones quoque eiusmodi saepius perscriptas esse, ut etiam ad alias legiones, opinor, mitterentur, ipse L. Verus diserte testatur literis ad Frontonem missis: (cf. Fronto epist. ad Verum imp. II, 3) »plane non contempseris et orationes ad senatum et adlocutiones nostros ad exercitum. Mittam tibi et sermones meos cum barbaris habitos.«

1) Quo tempore primo tyranni haec nova notio subiecta sit, non constat; nam quamquam in libris ante scriptores historiae Augustae, ni fallor, non occurrit tamen dubitari nequit, quin iam paulo ante usu recepta sit.

2) Perperam Casaubonus, quem plerique secuti sunt, ideo Polionem librum 'vitae XXX tyrannorum' inscripsisse existimavit quod ad XXX Atheniensium tyrannos respexisset.

stantinus Maxentium atque Licinium tyrannos nominavit¹⁾, tamen hanc verbi significationem a priorum temporum dicendi consuetudine et usu vehementer abhorrere constat; neque enim Tacitus neque Suetonius isti voci illam notionem subiecerunt neque unquam Vindicem vel Pisonem tyrannos dixerunt. Quare haud temere statuendum esse censeo non ab ipso M. Antonino vel Antonino Pio tyrannidis vocem hac ratione usurpatam esse, sed a posteriore quodam scriptore, qui verbum ipsi usitatum ac quotidianum perperam illi imperatori attribueret.

Quod e Veri epistula colligendum esse Ernestus Renan perspexit, Cassium non a Faustina ad defectionem esse impulsam, clarius etiam e litteris Faustinae ad M. Antoninum missis apparet (v. Av. C. c. 9, 10, 11) quibus Gallicanus quoque Faustinae illius facinoris consciam non fuisse comprobare studuit. Quas cum iam primus Tillemontius²⁾, ceterorum scriptorum testimoniis comparatis, deinde Borghesius³⁾, titulis quibusdam nisus, plane confictas esse iudicasset, tamen qui post eos his rebus operam dabant homines docti eorum iudicium aut fere nihil curaverunt, velut Wickersheimius⁴⁾ et Merivale⁵⁾, aut redarguere et refutare conati

1) cf. Cod. Theod. V. tit. 6 'De ingenuis, qui tempore »tyranni« servierunt'. l. 1 (a. p. Ch. n. 314). — ibd. XV, 14, 1 (a. 324). Eodem modo Theodosius quoque Eugenium qui imperio potitus erat *tyrannum* nominavit: Cod. Theod. IX, 38, 11 et 12 (a. 410). — ibd. XVI, 2, 47 (a. 425).

2) Tillemont, *histoire des empereurs*, t. II p. 561 sqq. note XII sur les emp. M. Aurele et L. Verus (ed. Paris 1720. 4°).

3) Borghesi »Illustrazione di una lapide dell' antica Narona«. *Oeuvres* V. p. 425 sqq.

4) De Wickersheim »Geschichte der Völkerwanderung« t. II. p. 14—34.

5) Merivale, *hist. of the Rom. under the empire* (VII. p. 591 adn.), qui tamen dubitanter addit: the letters . . . (are very interesting and) seem to be genuine.

sunt, velut Waddingtonius¹⁾ et Ernestus Renan; quare viris doctissimis adeo inter se dissentientibus vehementer necessarium esse mihi videtur hanc quaestionem recognoscere et retractare. Ac quia illis M. Antonini epistulis ad Faustinam et invicem datis de Cassii potissimum seditione disputatur primo nos accuratius examinare oportet, quid e reliquis auctoribus de eadem re certo constet.

Sunt autem duo potissimum scriptores ad illius temporis historiam cognoscendam maximi nobis momenti, Marius Maximus et Cassius Dio, quorum illius opus Capitolinum et Lampridium in angustum coegisse iam supra dixi, huius epitome circumscrisit Xiphilinus; et quoniam de Maximo quae iudicem, supra copiosius disputavi, Dionem vero, eius aequalem, historias cum prioris tum sui temporis quamvis non prorsus perfecte et absolute, tamen universe ad rerum fidem veritatemque perscripsisse notum est, hoc monere satis esse arbitror, ut ubi Maximus et Dio, quorum uterque nulla alterius ratione habita libros composuit, in iisdem rebus enarrandis plane inter se consentiant et confirmant, de eorum fide et auctoritate nullo modo liceat dubitare. Dio igitur, cuius narrationem paucis exponamus, L. Vero mortuo M. Antoninum ad bellum contra Marcomannos et Jazyges gerendum in Pannoniam profectum esse refert; ubi cum diu ancipiti Marte dimicatum esset, postremo victoria a Romanis reportata imperatorem Germanici titulo esse ornatum. Deinde postquam, ne temporis ordinem interrumpere, Bucolorum, quos vocant, et tumultum et cladem enarravit, praedicare pergit, quam strenuum atque assiduum imperator non modo in bello gerendo verum etiam eodem tempore in iure dicendo se praebuerit. Tum novo bello cum Quadis exorto Romanos quamvis initio obsessos atque in maximum periculum adductos tandem miraculo quo-

1) Waddington in adnotat. ad Borghesi Oeuvres l. l. p. 457 et ad Lebas 'inscriptions' n. 2212.

dam esse servatos atque hostes ad internecionem cecidisse; quam ob rem M. Antoninum a militibus imperatorem VII pronuntiatum confestim titulum suscepisse, ne senatus consultum quidem, ut solebat, oppertum. Tunc demum venit auctor ad Cassii defectionem, qua comperta adeo imperatorem perterritum esse addit, ut Commodum filium Roma ad se arcesseret.

Hac Dionis narratione quam evidentissime apparet imperatorem, per totum tempus inde a morte fratris in Pannonia ad imperii fines commoratum esse. Ibi a militibus 'Germanicus' ibi 'imperator VII' appellatus est; ibidem eo potissimum fuit tempore, quo Cassius descivit! Ac ne quis forte Xiphilini epitomatoris negligentia hoc ipso loco Dionis verba corrupta atque confusa esse dixerit, cum Joannes Antiochenus, quem et ipsum Dionem excerptisse constat, iisdem fere verbis illud refert¹⁾, tum integri Dionis operis quae exstant fragmentis idem comprobatur, quibus non modo imperatorem ipsum ubique cum barbaris egisse patet sed etiam eum Cassii defectione audita quamvis invitum cum Jazygibus pacem fecisse et adeo stupuisse ut pacis condiciones ad senatum mittere negligeret²⁾. Quin etiam seditione illa sedata ipsum Romam reversum a. 176 ad populum dixisse Dio tradit, se permultos annos peregrinatum abfuisse³⁾, ex quo necessario colligendum esse exi-

1) cf. Dio. 71, c. 12 τοῦ δὲ Κασσίου κατὰ τὴν Συρίαν νεωτέρσαντος σφόδρα ἐκπλαγείς ὁ Μάρκος τὸν Κόμμοδον τὸν υἱὸν ἐκ τῆς Ῥώμης . . . μετεπέμψατο cum Iohann. Antioch. (ed. Mueller. F. H. G. IV frg. 118): τοῦτον μὲν οὖν ἔνεκα (scilicet Cassii seditionis causa) ὁ Μάρκος τὸν τε Κόμμοδον ἐκ τῆς Ῥώμης διεπέμψατο.

2) Dio. l. 71, 17: οὕτω πρὸς τὰ ἀγγελθέντα ἐξεπλάγη, ὥστε μηδὲ ἐπιστεῖλαι τῷ συνεδρίῳ τὰς αἰρέσεις, ἐφ' αἷς αὐτοῖς συνηλλάγη.

3) cf. Dio 71, 32. Num ex eo, quod scriptor addit populum imperatori se *multos annos* peregrinatum esse dicenti inclamavisse 'οκτώ', colligendum sit, M. Antoninum per octo annos continuos ad

stimo, ipso seditionis tempore eum Romae non commoratum esse. Neque aliter hac de re Maxium Maximum retulisse e vita M. Antonini a Capitolino ex illius opere consarcinata intelligi potest; nam Capitolinus quoque imperatorem non modo bello, quod cum barbaris gerebat, ipsum interfuisse¹⁾, verum etiam eo ipso tempore quo Cassius seditionem movit ab urbe longe abfuisse narrat; turbas enim tunc Romae exortas esse »quasi Cassius absente Antonino adventaret« (c. 25 init.); et quod Dio, M. Antoninum seditione illa motum ad se Commodum arcessisse addidit, idem etiam Maximum prodidisse e Capitolini Lampridiique consensu evidenter apparet, quorum cum ille, imperatorem Commodum filio ad limitem arcessito togam virilem dedisse narret, hic accuratius exponit, Commodum toga indutum esse Nonarum Iuliarum die, — »eo tempore, quo Cassius a Marco descivit« (v. Com. c. 2) eodemque anno in Germaniam esse profectum (ibid. c. 12).

Quibus de rebus cum Dio et Maximus plane inter se consentiant pro certo atque explorato affirmare licet, imperatorem cum Cassium defecisse audiret in Pannonia fuisse, inde eum, filio ad limitem ad se arcessito, in Asiam profectum esse neque prius Romam rediisse, quam illam seditionem compressisset. Sed a certissimis his rerum testimoniis immane quantum discrepant, quae literis Avidii Cassii vitae insertis referuntur; nam si illis fidem habemus non in Pannonia cum barbaris bellum gerens sed apud Romam de

urbe abfuisse, vehementer dubito. Nam quamvis illud a vera temporis ratione non abhorreret, quoniam M. Antoninum a. 169 Roma profectum, a. 176 eo reversum esse constat, tamen nummo quodam, quo 'adventus Augusti' praedicatur, eum iam a. 174 ad tempus Romam rediisse comprobari videtur.

1) cf. c. 22 . . . quare frequenter amici suaserunt ut a bellis discederet et Romam veniret sed ille contempsit ac perstitit e. q. s. id. c. 25: Relicto Sarmatico Marcomannicoque bello contra Cassium profectus est.

Cassii defectione imperator certior factus est (cf. Av. C. v. c. 9), neque in Pannonia milites in bellum adhortatus est (cf. Dio 71, 24) sed in Albano suo cum coniuge, quid faceret, deliberavit, neque ei ad bellum proficiscenti (Dio 71, 27) sed apud Formias moranti Avidium caesum esse nunciatum est¹⁾. Quae cum ita sint, — quoniam quod Wietersheimius (l. l. p. 15 extr.) literarum auctoritate fretus opinatus est, imperatorem in Pannonia commoratum Cassii defectione comperta longo circuitu per Italiam in Asiam profectum esse et per se ineptum est, et ipsis imperatoris literis, quibus ille, se »heri« de Cassii seditione certiore factum esse profitetur²⁾, repugnat, — aut utrumque illorum historicorum falsa referre et plane hariolari aut has quoque M. Antonini atque Faustinae epistulas ab imperitissimo scriptore confictas esse statuamus necesse est. Nec quemquam diu haesitaturum esse spero; utram opinionem amplectatur; nam quod Tillemontius iudicaverat, literas illas esse commenticias, id mea quidem sententia tam apertum manifestumque est, ut non iam addubitare liceat. Quae enim contra disputavit Ernestus Renan (l. l.) plerumque futilia sunt: Recte quidem ille contendit, Xiphilini epitomatoris negligentiae posse attribui, quod imperatorem Cassii seditione audita in Italiam rediisse non expresse narraverit; at non ideo epistulas suspectas esse iudicamus, quod ille nihil de Antonini reditu retulerit, sed quia et ille et Capitolinus Lampridiusque quam maxime expresse testantur, eo potissimum tempore imperatorem in Pannonia

1) cf. v. Av. C. c. 11 . . . si ex mea sententia de bello iudicatum esset nec Avidius esset occisus.

2) cf. imperatoris verba (c. 9, 7): 'Verus . . . verum scripserat, quod cuperet imperare; audisse enim te arbitror, quod heri statores de eo nuntiarent'. 'Heri', quod exhibent libri manuscripti, recte Mommsenus retinuit; Salmasii coniectura 'Vere', quam Peterus in textum recepit, plane inutilis est.

fuisse. Neque magis approbandum esse censeo quod Renanus verba imperatoris a Dione tradita: »Πολλοῖς ἔτεσιν ἀποδημηκῶς ἦν«, ne cum istis epistulis discrepare videantur ita sit interpretatus, ut M. Antoninum non in ipsa urbe, sed apud eam moratum esse dixerit; id quod non modo per se veri est dissimillimum, verum etiam vocis illius »ἀποδημεῖν« significationi plane repugnat.

Causis illis, de quibus disserui, motus cum iam Tillemontius M. Antonini atque Faustinae epistulas a Gallicano prolatas falsas esse perspexisset, alias etiam attulit Borghe-sius (l. l.) quibus falsarium in temporis quoque ratione peccavisse comprobaret. Sed quia haec ipsa temporum ratio, quam ille quasi exploratissimam posuit nuper in controversiam vocata et impugnata est, ita ut totius illius argumentationis fundamentum labefactaretur, accuratius denuo inquirere oportet, quo anno Avidius Cassius seditionem moverit.

Ac quoniam Lampridius in Commodi vita distincte tradit, Commodum Pisone Iuliano consulibus, — id est a. 175 — in Germaniam profectum esse atque togam virilem accepisse, aliis vero et Capitolini et Dionis testimoniis supra citatis satis constat Commodum illius seditionis causa a patre in Germaniam arcessitum et toga virili esse indutum omnium hominum doctorum sententiae in hoc congruerunt, ut a. 175 demum Cassium defecisse statuerent¹⁾. Atqui cum omnium titulorum, qui quidem M. Aurelio Antonino imperatore post L. Veri mortem (init. a. 169) positi nomen Avidii Cassii legati Aug. pr. pr. provinciae Syriae exhibeant, ne una quidem ad annum 172 vel insequentem spectet, et Pompeianum illum, quem imperator primo epistula ad Faustinae missa (v. Av. C. c. 11 extr.) in annum sequentem consulem se dixisse profitetur, deinde oratione ad senatum senatoribus commendat, anno 173 consulem processisse notum sit, Wad-

1) cf. Tillemont II. 376. Eckhel, doctrina nummorum VII. 102 sqq. Clinton, fasti Romani, I. ad a. 175.

dingtonius v. d. (l. l.) inde colligendum esse existimavit, iam a. 172 Cassium seditione mota morte multatum esse; neque enim aliter posse explicari, qui factum sit, ut nullus eius exstet titulus post a. 171 positus et in illa M. Antonini epistula vel oratione, quam vulgo demum a. 175 scriptam esse putabant, Pompeianus tanquam consul designatus nominetur. — Quam viri doctissimi coniecturam speciosam esse non nego; num vera vel verisimilis sit, diligentius examinemus. Ac primum quidem M. Antonini epistula, qua Pompeianum consulem se dixisse coniugi nuntiat, ideo probari non potest Cassium iam a. 172 defecisse, quod confictam eam esse aliis de causis constat; orationem vero imperatoris ad senatum missam Waddingtonium omnino non oportuit pro argumento afferre. Nam cum Pompeianus ille, M. Antonini gener, a. 173 iam iterum consul procederet et grandaevus esset, hunc imperator tum respicere non potuit, cum diceret, »Pompeiani aetatem olim remunerandam fuisse consulatu, nisi viri fortes intervenissent« e. q. s., ut iam rectissime Borghesius observavit¹⁾; quare aut ad alium quem iuniorem virum cui et ipsi Pompeiano nomen erat verba illa spectant aut haec quoque oratio falsa est. Restat igitur ut inquiremus, num ex solis illis titulis effici cogique possit, ut Avidius iam a. 172 ab imperatore defecerit²⁾. Sed ne hoc quidem recte contendisse Waddingtonium iam primo quasi aspectu apparet; immo omnino nihil ex iis intelligitur, nisi Avidium annis 169, 170 et 171 legatum pro praetore Syriam administrasse, id quod aliis quoque testimoniis satis constat. Nam cum quinque illi tituli uno excepto nuperrime demum reperti sint³⁾, quis est qui neget,

1) Borghesi »lapide di Naronac. Oeuvres V. p. 442.

2) Tituli sunt autem in Lebas 'inscriptions' n. 2212 (anni 171) — 2237 (a. 169) — 2331 (a. 170) — 2438 (a. 169) — 2525 (? ante a. 169). cf. quae notat Waddingtonius ad n. 2525.

3) In corpore inscriptionum Graecarum unus tantum titulus

etiam alios posse reperiri, qui ad annum 172 vel 173 spectaverint, praesertim quoniam illae Syriae regiones adhuc levissime exploratae sunt¹⁾? Quis igitur recte illum iudicavisse concedat, Cassium quod nullus eius titulus notus esset, qui ad a. 172 vel 173 pertineret, ideo iam anno 172 vita decessisse oportere? Nonne enim aequae casu et fortuito accidit, quod adhuc unus tantum Cassii titulus repertus est, qui L. Veri imperatoris nomen exhibet (C. I. G. 4544. Lebas 2525)? An vero quispiam inde colligendum esse dixerit, Cassium L. Vero imperatore per unum tantum annum provinciae praefuisse et a. 168 legatum factum esse quod ille iam initio a. 169 mortuus sit? Eodem iure nimirum aliquis quo tempore hic solus titulus notus erat, statuere potuit, Cassium iam ante a. 169 defecisse! Sed Waddingtonii coniectura non modo per se infirma et levis est, verum etiam certissimis scriptorum testimoniis refragatur. Nolim equidem ei opponere neque quod Lampridius distincte narraverit, Commodum »Pisone Iuliano consulibus« toga virili indutum esse, quo tempore Avidius defecisset (cf. v. Commodi c. 2 et c. 12) neque quod Dio retulerit, imperatoris orationem de Avidii consociis incolumitate dandis, quam exeunte anno 172 scriptam esse Waddingtonius coniecit, post Faustinae mortem ad senatum missam esse (Dio 71, 30), Faustina vero ante a. 173 non mortuam esse satis constet²⁾, quoniam haudquaquam incredibile esse concedo, Lampridium in temporis ratione peccavisse atque Dionis narrationem hoc uno loco epitomatoris negligentia turbatam esse. At multo gravius est, quod, si Waddingtonio adstipulemur, non in singulis tantum rebus scriptores illos interdum erravisse statuamus necesse est, sed universum illorum narrationis con-

editus est (n. 4544 = Lebas 2525), quem ad Cassium pertinere Cavedonius perspexit.

1) In Batanea enim et Trachonitide omnes illi tituli reperti sunt.

2) cf. Orelli-Henzen, *inscriptt.* 6015.

textum rerumque continuationem plane confusum ac conturbatum esse, quamquam Dionem potissimum in temporibus exquirendis diligentem fuisse atque res gestas observato cuiusque anni ordine deinceps composuisse notum est.

Recte igitur Dio narrat primum M. Antoninum fratre mortuo contra Marcomannos profectum esse, — id quod anno 169 factum est¹⁾ —, deinde barbaros esse victos (a. 171) tum Augustum Germanici titulum suscepisse (a. 172); postea eum Quadis profligatis »imperatorem VII« appellatum esse (174), denique Avidium Cassium defecisse. Hoc rerum ordine, qui cum nummorum testimonio et auctoritate optime congruit, evidenter ostenditur, Avidium post Quados a Romanis victos seditionem movisse, quos quia a. 174 superatos esse numi testantur, necessario sequitur, ut Avidius non iam a. 172 ab imperatore desciverit. Nam quantum prorsus omnia misceantur et in contrarium vertantur, si hanc Dionis de Cassii seditione narrationem vel epitomatoris negligentia vel fortuito quasi suo loco motam atque alio delatam esse coniciamus, facile intelligitur. Quodsi Waddingtonio auctore fingamus Cassium iam 172 seditionem concitasse, hoc anno cum Jazygibus pacem factam esse necesse sit, quam imperatorem ipsa illa seditione coactum composuisse Dio expresse (71, c. 17) narrat. Atqui alio loco idem scriptor Jazyges iam antea pacem petentes ab imperatore repulsos esse tradit, quod timuisset ille, ne ab iis sicuti a Quadis, qui pacis conditiones paulo ante acceptas violassent, deciperetur (cf. Dio 71, 13, ὑπὸ τῶν Κοβάδων ἀπατηθεὶς e. q. s.). Quadi vero cum Romanis pacem inierunt post gravissimam cladem, quam eos accepisse a. 174 nummorum testimonio constat. Ergo ante a. 174 pacem cum Jazygibus fieri non potuisse neque iam a. 172 imperatorem, ut id faceret, Cassii seditione coactum esse patet! — Porro Dio Quadis devictis M. Antoninum confestim a militibus

1) cf. Eckhel VII p. 57 sqq.

»imperatorem VII« appellatum esse testatur, id quod a. 174 factum esse numi docent. Si vero ille a. 172 vel in-eunte a. 173, ut tumultum Cassianum sedaret in Asiam profectus est, a. 174 bello illi et victoriae adesse non potuit, quoniam eum a. 176 demum ex Asia rediisse neque per Pannoniam terra sed mari rediisse constat; ex quo efficitur, ut non a. 172 sed post annum 174 demum Cassius arma moverit. Denique Faustina a. 174 ab exercitu 'matrem castrorum' appellatam esse scriptor refert (c. 71, 10 extr.); atqui eam maritum in Asiam comitatam, ubi eo advenit, de vita decessisse notum est (cf. v. M. Anton. 26, 4); ergo ante annum 174 eam in Asiam non profectam esse liquet.

Quae cum ita sint, aut quaecunq; Dio de M. Antonini vita et rebus gestis tradit, mirum quantum perturbata atque inepta sunt aut illud quod supra sumpsimus, Avidium a. 172 ab imperatore descivisse, futile ac perversum est; et quoniam fere nihil habeamus cur illi Waddingtonii coniecturae valde inani assentiamur, qua non modo non tollantur difficultates, sed vehementer augeantur, Dionis vero narratio et aliorum scriptorum et numorum testimonio ubique confirmatur, nemini dubium esse potest, quin Avidius Cassius »Pisone Iuliano consulibus«, id est a. 175 seditionem concitaverit. Quodsi literas quoque M. Antonini atque Faustinae a. 175 scriptas esse ponamus necesse est, recte Borghesium statuisse intelligimus, eas ideo genuinas non esse habendas, quia qui scripsit in temporis ratione vehementer peccaverit. — Ac primum quidem cum M. Antoninus coniugi querenti, »Pompeianum generum et seniore[m] esse et peregrinum« (v. Av. Cas. 10, 3), respondit, ut ipsius verba ponam, »Pompeianum nostrum in annum sequentem consule[m] dixi« (c. 11 extr.), eundem quem Faustina eum dixisse apparet. Atqui hunc Pompeianum, Lucillae imperatoris filiae maritum non a. 175 vel 176 sed a. 173 consule[m] fuisse constat¹⁾,

1) Borghesius, 'lapide dell' antica Narona' Oeuvres V. p. 425.

ex quo quoniam sequitur, ut imperator istam epistolam a. 175 scribere non potuerit, eam falsam ac fictam esse liquet. Deinde vero in Faustinae literis Fadilla filia perperam »puella virgo« dicitur, quam a. 175 iam diu viro nuptam fuisse Borghesius titulo usus quodam Pompeiopolitano docuit¹⁾. Nam cum ex hoc monumento a. p. Ch. n. 173 posito Claudium Severum cos. II. imperatoris M. Aurelii Antonini generum fuisse intelligamus, omnium vero imperatoris filiarum, si Lucillam Pompeiani uxorem exceperis, illo anno vel ante eum sola Fadilla iam nuptiis matura esset (Borghesi, l. l. p. 433) nullam nisi Fadillam Severus a. 173 in matrimonio habere potuit, quem et ipsum Pompeiano excepto omnium imperatoris generorum natu maximum fuisse constat²⁾. Quae cum ita essent illam epistolam, qua ipsa mater Fadillam a. 175 puellam virginem nominasse dicitur, ab imperitissimo quodam scriptore, qui veritatis prorsus nullam rationem habuit, fictam esse statuamus necesse est.

Epistulas subsequitur M. Antonini oratio ad senatum missa (v. Av. C. c. 12), qua consciis Avidii se veniam daturum esse exponit. Unde Gallicanus eam petiverit quamquam ipse non addit, tamen quin ex eodem scriptore, ex quo literae illae, sumpta sit non dubium esse videtur; nam quae contra disputavit Dirksenius (l. l. p. 219), qui eam ad Marium Maximum auctorem referendam esse demonstrare conatur, mihi quidem probare non potuit. — Ac primum recte miremur hac oratione a. 175 scripta Pom-

1) idem l. l. p. 429. cf. C. I. G. 4551 *Ἀγαθῆ τύχη. Γυν. Κλαύδιον Σεβήρον δις ὑπάτον ποινίρικα γαμβρὸν Καίσαρος Μ. Ἀντωνίου Ἀντωνίου Σεβαστοῦ* (sic emend. Borghesius pro *Σεβήρου*) *πάτρωνά καὶ κτίστην ἢ μητρόπολις Πομπηόπολις διὰ Π. Δομπίου Ἀνγούρεϊνου* (sic Borghes. pro *Ἀντορεϊνου*) *Κλωδίου Καλβεϊνου πρώτου ἄρχοντος: ἔσθ. ἔτει.*

2) Severus erat a. 173 consul II. Alii M. Antonini generi Antistius Burrus et Petronius Mamertinus processerunt primo consules demum a. 181 vel 182.

peianum imperatoris generum, quem se consulem dixisse M. Antoninus ficta illa epistula coniugi nuntiavisse fertur, tanquam consulem designatum senatoribus commodari, quamquam neque verba, quibus imperator utitur, ad illius aetatem quadrant neque ille hoc anno vel insequente revera consul processit. At ne temere orationis fidem infamemus, Borghesius etiam ad alium quendam verba illa spectare posse observavit, ad Claudium Pompeianum Quintianum¹⁾, quem, cum neptis imperatoris esset maritus, et ipsum generum imperatoris dicere licebat²⁾. Magis vero ipsa orationis summa a veritate abhorreere videtur; nam cum et Dio et Maximus sive Capitolinus imperatorem, qua esset clementia ac mansuetudine, Cassii conscios venia atque incolumitate donasse atque a senatu petivisse testentur, ne gravius in noxios facinoris animadverteret neve qui senator capite puniretur³⁾, ista oratione a Gallicano prolata non modo senatores atque equites capitis absolvi iussisse verum etiam vel mollissima poenarum genera iis condonasse fertur. rogavisse enim senatum, ut ipsa verba ponam, ut »conscios senatorii ordinis et equestris a caede, a proscriptione, a

1) Borghes. l. l. p. 442. cf. Dio 72, 4, 4 sq. — Lamprid. v. Commodi c. 4, 2 (5, 12). Herodian. 1, 8, 5. Quamquam quod Herodianus eum a. 182 'γεννησκον' fuisse dicit, non cadere videtur in illum, qui iam a. 175 vel 176 consul processit.

2) cf. Ulpian. in Digest. 50, 16, 136: Generi appellatione et neptis et proneptis tam ex filio quam ex filia editorum ceterarumque maritos contineri manifestum est.

3) cf. Dio 71, 30, 2 . . . μή γένοιτο, ἔφη, μηδένα ἡμῶν (scil. ordinis senatorii) ἐπ' ἐμοῦ . . . σφραγῆναι. — id. 71, 28, 2: ὁ αὐτὸς τῶν βουλευτῶν τινα τῶν σὺν τῷ Κ. οὐτ' ἀπέσφαξεν οὔτε ἔδθησεν e. q. s., Capitolin. v. M. Ant. c. 25 petit ne qui senator tempore principatus sui occideretur, ne eius pollueretur imperium. eos etiam, qui deportati fuerant, revocari iussit, cum paucissimi centuriones capite essent puniti. (Eadem iisdem fere verbis tradit Gallicanus v. Av. C. c. 8, 7 Marium Maximum secutus.)

timore, ab infamia, ab invidia et postremo, ab omni vindicaret iniuria!« Atqui cum Dio (71, 28) complures viros senatorii quoque ordinis damnatos esse refert tum e iurisconsultorum libris discimus¹⁾, huius seditionis causa M. Antoninum ultro constituisse, ut si quis laesae maiestatis convictus esset, eius etiam mortui bona fisco vindicarentur. Quare quia non verisimile esse videtur, imperatorem illam omnium rerum veniam atque impunitatem oratione sua, quae fere pro lege valebat, constitutam postea revocasse atque in irritum vindicavisse, ex iis quae revera eum egisse ac rata esse voluisse scimus, colligere licet, istam a Gallicano Cassii vitae insertam orationem non ipsius fuisse, sed rhetoris cuiusdam, qui cum M. Antonini misericordiam atque indulgentiam quam maxime illustrare atque augere studeret, eum prolixius atque effusius pollicentem faceret, quam ipse imperator promittenda esse putabat. Sed haec leviora esse concedo. Maximi tamen est momenti ad hanc quaestionem persolvendam, quod quae Dio ex genuina imperatoris oratione ad senatum missa verba affert insignia, ea ipsa in orationis exemplo a Gallicano prolato non inveniuntur²⁾. Nam quoniam ea fortuito excidisse vel a scriptore omissa

1) cf. Pauli lib. singular. 'de publicis iudiciis' et Marciani lib. I. 'de publicis iudiciis' tit. ad legem Iuliam maiestatis' in Cod. Iustin. IX. 8, 6.

2) Xiphilin. (71, 30, 2) haec verba servavit: *»μή γὰρ γένοιτο, ἔφη, μηδένα ὑμῶν ἐπ' ἐμοῦ μήτε τῆ ἐμῆ μήτε τῆ ὑμῆτερά ψήφῳ σφραγῆναι.«* καὶ τέλος ἔφη *»ὄτι ἂν μὴ τούτου τύχω, σπεύσω πρὸς τὸν θάνατον.«* Paulo accuratius Ioannes Antiochenus (frg. 118 M.) Dionis locum excerptit: *ἐπέστειλε (M. Antoninus) τῆ βουλῆ . . . ἣν δ' οὖν τοιαῦτα ἔικετεύῳ ὑμᾶς, ὡ βουλή, καθαρὰν μου τὴν ἀρχὴν ἀπὸ παντὸς ἀξίματος βουλευτικῆ φυλάξασθαι. καὶ γένοιτο e. q. s.* Quibus verbis plane congruunt quae Capitolinus tradit Maximus secutus (v. M. Ant. c. 25): *»petit (M. Antoninus) ne qui senator tempore principatus sui occideretur, ne eius pollueretur imperium.«* Sed ne haec quidem in ista Gallicani oratione legimus.

esse vix credibile est, inde necessario sequi existimo, ut istud Gallicani exemplum fictum ac commenticium sit. Quibus causis si quis nondum adductus sit, ut mihi assentiatur, eum cum ista imperatoris quae fertur oratione genuinas M. Antonini epistulas ad Cornelium Frontonem comparare velim; tantum enim differre illius corruptissimum sermonem ab ea, quam hae exhibent, elocutione, ut eidem auctori attribui non possint, quivis intelligat. Sed satis est id univarse significasse; hoc unum tantum animadvertam, in ista quoque oratione »tyrannidis« vocabulo eam vim et sententiam esse subiectam, quam ab huius aetatis consuetudine dicendi plane abhorrere iam supra notavi.

Venimus ad M. Antonini epistulam, qua se Avidium Cassium omnibus legionibus Syriacis praefecisse praefecto nuntiat. Quo tempore ea scripta sit, evidenter liquet. Nam quod et imperator et praefectus vehementer queruntur, milites Syriacos luxuria diffuentes atque effeminatos ad intemperantiam et nimiam licentiam redactos¹⁾ esse, id non convenit nisi initio belli Parthici, quo legiones et lascivia et otio diutino corruptas atque dissolutas adversis proeliis ita percussas fuisse Fronto testatur, ut ad primum Parthorum conspectum terga verterent²⁾. Posteriore vero tempore, cum legiones severiore disciplina coercitae Parthis devictis pristinae gloriae memoriam renovassent, imperatorem illo modo iudicare non potuisse, quivis concedat. Itaque quoniam M. Antonini aetate cum provinciae administratione summum imperium coniunctum fuisse constat, ita ut legatus Augusti pro praetore et iurisdictionis potestatem gereret et militi-

1) cf. v. Av. C. 5, 5: »Avidio legiones Syriacas dedi diffuentes luxuria e. q. s.« — ibd. 5, 10.

2) cf. Fronto, epist. ad Verum imp. II, 1 (p. 128 Naber). »Exercitus tibi traditus erat luxuria et lascivia et otio diutino corruptus«. — Idem »principia historiae« (p. 206 sq. Naber): »Corruptissimi vero omnium Syriatici milites, seditiosi, contumaces . . . Praeter huiusmodi dedecora malis proeliis ita percussi« e. q. s.

bus praeesset, Avidium Cassium si isti imperatoris epistulae, qua legionibus praefectus esse dicitur, fidem habemus, initio belli Parthici (id est a. 162) legatum Augusti pro praetore provinciae Syriae fuisse necesse est, id quod cum alii vv. dd. tum Borghesius pro certo habebant¹⁾. Atqui titulo quodam in Syria reperto, quo imperatores M. Aurel. Antoninus et L. Aur. Verus Armeniaci per Iulium Verum leg. pr. pr. prov. Syriae viam restituisse praedicantur, plane evincitur, Cassium non modo initio belli, a. 162, sed ne a. 164 quidem Syriae legatum fuisse²⁾. Ergo epistulas istas et imperatoris et praefecti falsas et a scriptore posterioris aetatis confictas esse manifesto apparet³⁾; qui cum Avidio Cassio, quem per totum bellum virtute ac fortitudine excelluisse sciret, inde ab initio summam belli delatam esse fingeret, perperam id quod suo tempore institutum erat et usu receptum, ut alius esset provinciae praeses alius dux legionum, iam M. Antonini aetati attri-

1) cf. Borghesii literas ad Amatium missas (a. 1817). Oeuvres VI. p. 93.

2) Orelli, inscriptt. n. 4997 (Lebas 1874). Repertus est titulus apud Abilam Lysaniae. Tempus quo positus sit eo definitur quod imperatores Armeniaci dicti sunt, quem titulum M. Antoninum ante a. 164 non suscepisse constat. cf. Eckhel VII. p. 72 et Waddington »Sur les légats de Syrie . . . de Trajan à Septime Sévère«. (Académie des inscr. et b. l. 1865, p. 115 sqq.) — Atridio Corneliano, qui legatus Syriae erat a. 162 (cf. Henzen, inscriptt. 5484), a Parthis victo successit Annus Libo (cos. 128. cf. v. L. Veri c. 9), Liboni Iulius Verus, Vero Avidius Cassius, Cassio P. Martius Verus (175). Quo anno Cassius Iulio Vero successerit non constat; sed iam tum, cum L. Verus Romam rediret, (a. 166) legatum fuisse e Veri epistula ad Frontonem (II. 3 Naber) colligendum esse videtur.

3) Ex istis igitur literis effici non potest id quod Hirschfeldio visum est (»Jhb. f. Philologie« 1868 p. 695), ut iam M. Antonini aetate copiarum militarium vel comestus cura praefectis praetorio commissa sit.

buit. Quem autem honorem re vera Cassius in bello Parthico sustinuerit priusquam legatus pr. pr. Syriae factus est, si quaerimus, mihi quidem id veri simillimum esse videtur, eum sicuti M. Pontium Laelianum illum a Frontone laudatum¹⁾, qui postea et ipse provinciae Syriae praeerat²⁾, inter L. Veri imperatoris comites fuisse³⁾; qui cum ipse Antiochiae desideret haud scio an illum sua vice fungi iusserit⁴⁾. Nam quod scriptor quidam fide indignus Cassium legionem tertiam Gallicam duxisse refert⁵⁾, et ea potissimum in seditione illi dedita et devota fuisse videtur⁶⁾, vix inde colligendum esse existimo, illum initio belli huius legionis legatum fuisse. — Sed ut ad falsas istas epistulas revertar, quam inepte atque ridicule fictae sint iam ex eo intelligi posse moneam, quod versu quodam »a bono poeta dicto et omnibus fre-

1) cf. Fronto ad Verum II, 1 (p. 128 Naber) 'vir gravis et veteris disciplinae Laelianus Pontianus' e. q. s.

2) cf. Waddington l. l. p. 121. 'Comes divi Veri' titulo quodam Romae reperto nominatur, cuius notitiam debeo L. Reniero (académie des inscr. et b. l. 1864 p. 255).

3) cf. Capitolin v. Veri 7, 6 »ad Eufraten impulsu comitum suorum . . . profectus est«. — ibd. 7, 8 confecto bello provincias vero comitibus suis regendas dedit. — De comitibus imperatorum luculenter disseruit Mommsenus in »Hermes« IV p. 120 sqq.

4) cf. Dio. vel potius Xiphilin., qui hanc operis partem nimis negligenter excerpserat (71, 2, 2): »αὐτὸς μὲν (Λούκιος) ἐν τῇ πόλει ἐκάθητο . . . Κασσίῳ δὲ τὰ στρατεύματα ἐπέτρεψε. Nec tamen vereor ne quis his Xiphilini verbis literis illis M. Antonini fidem augeri iudicet.

5) cf. quae Lucianus (l. l. c. 31) e libro cuiusdam, qui de bello Parthico scripserat, affert: » . . . ἀλλὰ καὶ τὰ προόμιμον τῆς Ἰνδικῆς ἦδη συντέτακται, καὶ τὸ τρίτον τᾶγμα καὶ οἱ Κέλτοι καὶ Μαύρων μοῖρα (οὐκ ?) ὀλλύγη σὺν Κασσίῳ, πάντες οὔτοι ἐπεραιώθησαν τὸν Ἰνδὸν ποταμόν.

6) Velut Avidii Cassii ita legionis quoque III Gallicae nomen in titulis nonnullis erasum est. Cf. quae notavit Waddingtonius ad »Lebas, inscriptions« n. 1845 et 2438.

quentato« imperator praefecto probavisse dicitur, »milites regi non posse, nisi vetere disciplina.«

Restat, ut de Avidii Cassii ad generum suum literis (v. Av. G. c. 14) disseramus, quas vel propter ea suspectas esse, quod ceteras omnes epistulas eidem vitae insertas falsas esse demonstravimus, nemo, opinor, negaverit. Sed non desunt gravissima argumenta, quibus revera eas commenticias esse evidenter comprobari possit. Ac primum mea quidem sententia ex ipsa rerum inopia ac verborum sonitu inani colligere licet non tam ducis illius esse epistulam quam rhetoris cuiusdam. Nam in secreta ac familiari epistula, quam nescio unde scriptor deprompserit, si Cassius de rerum statu ac condicione et de natura moribusque imperatoris egisset, non dubium est, quin quae vellet atque sentiret libere expositurus atque de suis consiliis seditionisque successu vel aliis rebus maximi momenti accuratius disputaturus fuerit. At in isto literarum exemplo nihil fere tale legitur, ex quo non modo nihil novi vel occulti de Cassii voluntate conatisque discimus, sed ne id quidem, quod scriptor testatur¹⁾, conicere possumus, tunc iam eum a militibus imperatorem appellatum esse ac contra Antoninum arma movisse. Quae vero de moribus corruptis et de praesidum avaritia ac cupiditate universe declamantur, adeo futilia ac decantata sunt, ut plane rhetorum officinam redoleant, quorum proprium erat, cum et rerum et personarum parum notitiae vel rationis haberent, locos communes volvere atque vulgares inanesque declamationes conficere. Manifestius tamen in mendacio falsarius deprehenditur, cum haec verba, quae ponam, Cassium scripsisse fingit: »Ego vero istis praesidibus provinciarum — an ego proconsules an ego *praesides* putem, qui ob hoc sibi a senatu et ab *Antonino* provincias datas credunt, ut

1) cf. 14, 1 »exstat epistula eius (scil. Cassii) ad generum suum iam imperatoris.«

luxurientur?« (c. 14, 7). Quibus verbis postquam scriptor primo omnes, quicumque provinciis praecerant, generali praesidium nomine notavit, hoc ita accuratius definit, ut quasi genus in species partiens eos, quibus a senatu, et eos, quibus ab imperatore provinciae datae sint vel, ut ipsius verbis utar, proconsules et praesides distincte discernat. Atqui quoniam praesidis nomen generale fuisse, eoque et proconsules et legatos Caesaris praesides appellatos esse satis constat¹⁾, ex hoc ipso evidenter liquet, eodem nomine Avidium non potuisse eos tantum significare, qui imperatoriis provinciis praecessent; neque enim partem, quae generi subest eodem verbo appellare licet, quo genus ipsum appellamus. Mirum sane esse videtur, omnino quemquam, ne dicam Avidium, quippe qui ipse legatus Augusti esset, adeo peccasse et nomina confudisse. Sed quamvis M. Antonini aetate verba illa inepte atque absurde dicta esse appareat, tamen si posteriora tempora respexeris, apte et recte esse usurpata concedes. Nam cum III. p. Ch. n. seculo exeunte, vetere provincias administrandi ratione commutata, in locum legatorum Aug. pr. pr. qui provinciis cum imperio praefuerant, magistratus succederent, qui iurisdictionis tantum potestatem gerebant, ii ordinis equestris viri praesidium nomine proprie appellabantur²⁾, ita ut hoc tempore rectissime

1) cf. Macri verba (in Digest. I. 18. 1): 'praesidis nomen generale est, eoque et proconsules et legati Caesaris et omnes provincias regentes, licet senatores sunt, praesides appellantur'.

2) cf. Mommsenus: Anall. epigr. XX. (Berichte der kgl. sächs. Ges. der W. 1852, p. 221), Borghesius annali 1853 p. 201. Henzenus annali 1860 p. 39. — Quo tempore novi illi magistratus, praesides viri perfectissimi, exstiterint, parum liquet. Henzenus eos ab imperatore Aureliano (270—275) institutos esse opinatus est. Borghesius, quem sequitur Aemilius Kuhn (in libro 'Die städt. und bürgerl. Vfg. d. r. R.' II, p. 207 sq. 1865), e Lampridii verbis (v. Alex. Sev. c. 24): »[Alexander Severus] provincias legatorias praesidiales plurimas fecit«, colligendum esse

scriptor provinciarum rectores in proconsules, qui senatorias provincias administrarent, et in praesides, qui Caesarum provinciis praessent, dividere posset. Si vero in ista Avidii Cassii quae fertur epistula illius rerum mutationis mentio vel significatio quaedam apparet, eam multis annis post Avidii mortem fictam esse necessario sequitur.

Quae cum ita sint, si quaerimus, quaenam in istis literis fingendis scriptor sibi proposuerit, mihi quidem id potissimum egisse videtur, ut et Avidii Cassii et aliorum hominum, de quibus narraret, consilia quam vehementissime illustraret eorumque imagines quam maxime expressas legentium oculis subiceret. Itaque non satis esse ratus eorum ingenia moresque simpliciter describere ac nude narrare, summam fuisse M. Antonini clementiam, summam Avidii Cassii severitatem, illos ipsos loquentes induxit, ut in familiaribus et in publicis literis suis verbis, quae vellent atque sentirent, exponerent ac comprobarent; id quod quantum et ad narrationem exornandam et ad legentium animos movendos atque oblectandos pertinuerit, quiv i ipse intelligat.

Haec habui, quae de epistulis Cassii vitae insertis dicerem. Vereor, ne multis in his quisquillis ineptisque refutandis longior fuisse videar. Sed et virorum doctorum argumenta, qui has epistulas falsas esse nuper negaverant,

censuit, hunc imperatorem (222—235) primum praesides vv. pp. sine imperio provinciis praefecisse. At recte monuerat Mommsenus (l. l. adnot. 15), ante Maximinorum (235—238) vel Gordianorum 238—244) principatum hanc administrationis mutationem non factam esse, quia sub Maximinis et Gordianis ubique provinciarum legatos Aug. pr. pr. senatorii ordinis fuisse tituli testantur. Qua de causa illas quoque senatus literas, Maximinorum vitis insertas (Capitol. v. Max. c. 15), falsas esse statuamus necesse est, quibus senatus *proconsulibus, praesidibus, legatis* (scil. legionum), *ducibus* e. q. s. salutem dixisse fertur.

accuratius examinare ac refellere, et horum scriptorum naturam voluntatemque hoc loco copiosius exponere atque illustrare opus erat, ut totius nostrae de omnium literarum actorumque fide et auctoritate quaestionis certum ac firmum quasi fundamentum iaceretur.

Carolus Czwalina de vita sua.

Natus sum Gedani a. d. XI. Kal. Septembr. a. 1847, patre Iulio, gymnasii Gedanensis professore, matre Aemilia de gente Wittrin, cuius mihi infanti praematura morte ereptae partes amantissime suscepit altera mater Henrietta de gente Marquardt. Fidem profiteor evangelicam. Literarum primordiis imbutus patriae urbis frequentavi gymnasium quod tunc Engelhardtio v. c. direttore florebat. Ubi cum optimis praeceptoribus usus historiae imprimis studium, duce Theodoro Hirschio professore nunc universitatis Gryfswaldensis, adamassem, ineunte veri anni 1866 academiam adii Fridericam Guilelmiam Rhenanam. Postquam ibi per quinque semestres summo cum fructu et historicis et philologicis studiis operam navans prodocentes audivi Bernaysium, Iahnium, Nissenum, de Noorden, Schaeferum, Springerum, de Sybel, contuli me Berolinum, ubi unum annum versatus scholis interfui Mommseni, Rudorffii, Trendelenburgii. Bonnam reversus auctumno a. 1869 usque ad hoc temporis momentum, ut examina absolvam, hic commoror. Bonnae Sybelii, Schaeferi, Kampschultii benevolentia seminarii sodalibus adscriptus sum, Berolini Mommsenus benignissime permisit, ut exercitationibus historicis interesssem.

Quibus viris doctissimis omnibus gratias ago quam maximas, imprimis vero Hirschio et Schaefero et Mommseno optime de me meritis, quorum memoria pio gratoque animo semper mihi colenda erit.

Sententiae controversae.

1. Treb. Poll. vit. Gallien. c. 12, 1 pro consulta scribendum est consulatu. Consules erant Valerianus et Lucillus a. p. Ch. n. 265.
 2. Herodian. l. VII. 1, 3 pro 'ἐκ συνειδήσεως εὐγενοῦς' legendum esse videtur, 'τοῦ γένους' (cf. Capitolin. vit. Maxim. c. 9 init. conscios generis sui interemit).
 3. Laterculum provinciarum Romanarum Veronense c. a. 297 perscriptum esse rectissime Mommsenus statuit.
 4. Phoebidas imprudente Agesilao Thebas occupavit.
 5. Gesta Henrici imperatoris metricè scripta genuina sunt.
 6. Geographia est fundamentum historiae.
 7. Historicum non nisi philologum, philologum non nisi historicum esse contendo.
-







1

2

3

4

De epistularum auctorumque quae a S
Widener Library 005048828



3 2044 085 182 038

